



# The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PREMISLIENSIS-VARSAVIENSIS**  
**ritus BYZANTINI UCRAINORUM** IN POLONIA EPARCHIA PREMISLIENSIS RITUS BYZANTINI  
UCRAINORUM

AD GRADUM ET DIGNITATEM ARCHIEPARCHIAE METROPOLITANAE

PREMISLIENSIS-VARSAVIENSIS RITUS BYZANTINI UCRAINORUM EVEHITUR

ITEMQUE PROVINCIA ECCLESIASTICA CONDITUR EIUSDEM NOMINIS

AC RITUS QUIBUS MEMORATA NOVA ARCHIEPARCHIA METROPOLITANA Ad aptius providendum spirituali saluti  
atque regimini Christifidelium ritus Byzantini Ucrainorum in dilecta Polonia commorantium, Nos, beati Petri Successores  
de totius Dominici gregis bono solliciti, summa Apostolica potestate sequentia decernimus: Eparchiam Premisliensem  
ritus Byzantini Ucrainorum ad gradum et dignitatem Archieparchiae Metropolitanae *Premisliensis-Varsaviensis ritus  
Byzantini Ucrainorum* evehimus itemque Provinciam ecclesiasticam condimus eiusdem nominis ac ritus quibus  
memorata nova Archieparchia Metropolitana. Sic conditae ecclesiasticae Provinciae uti suffraganeam damus Eparchiam  
Vratislaviensem-Gedanensem ritus Byzantini Ucrainorum. Praeterea sedem huiusce Archieparchiae Metropolitanae in  
urbe Premislia poni iubemus dum ibi exstans templum Sanctissimi Cordis Iesu et Sancti Ioannis Baptistae cathedralis  
ecclesia esse perget. Nova Archieparchia Metropolitana hos decanatus amplectetur: Premisliensem, Cracoviensem-  
Crynicensem (sine paroeciis: Gliwice et Katowice), Olstinensem et Elbingensem (sine paroecia Gdask), hucusque ad  
Eparchiam Premisliensem ritus Byzantini Ucrainorum pertinentes. Insuper, quoniam nova Archieparchia Metropolitana ab  
Eparchia Vratislaviensi Gedanensi flumine Vistula est divisa, pastorales ob rationes statuimus ut incolae urbium quae  
prope idem flumen degunt, secundum fines civiles pertineant ad ipsam Archieparchiam Metropolitanam. Ceterum  
Venerabilem Fratrem Ioannem Martyniak, hactenus Episcopum Eparchiae Premisliensis ritus Byzantini Ucrainorum, a  
Nobis selectum inter candidatos propositos a Synodo Episcoporum Ecclesiae Byzantinae Ucrainorum, Archiepiscopum  
Metropolitam Archieparchiae Metropolitanae, quam diximus, renuntiamus, cunctis factis propriis iuribus et oneribus tali  
muneri adnexis. Haec omnia reliquaque secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium temperentur.  
Quae vero iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad  
Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum  
ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die primo  
mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO  
Secretarius Status

ACHILLES card. SILVESTRINI  
Congr. pro Ecclesiis Orient. Praef.

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Archangelus Moscone, *Protonot.*

*Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LXXXVIII (1996), n. 10, pp. 793-794 © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

---

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana